

signiferum in 29 annis, 162 diebus, & 12 horis. Epicyclus eius uel argumentum, mouetur in suo circulo singulis diebus 57 minutis, & in anno 11 signis, 17 gradibus, & 32 minutis, hoc est, singulis coniunctionibus medijs Solis & Saturni epicyclus Saturni semel reuoluitur, quod fit in 378 diebus, hora una, minutis 30. Vnde etiam Saturnij syderis centrū, tot gradibus & minutis ab auge epicycli media semper distat, quot mediorum eius & Solis motuum lineæ. Hæc est igitur ratio, cur medio Saturni motu subducto à Solis medio, medium argumentum Saturni remaneat, ac rursus, si medius Saturni adiiciatur motui epicycli, motus ille æqualis sit medio motui Solis &c.

THEORIA IOVIS.

Huius Theoriæ sunt sicut Theoriæ Saturni, quantum & ad rationem motuum & uocabulorum explicationes.

ÆQUATORII IOVIS DESCRIPTIO.

**D**IVISO semidiametro à D centro mundi usq; ad orbem signorum in partes nonaginta sex, ut superius in Saturni æquatorio, à centro D mundi numerabuntur partes quinque cū dimidia, & erit finis numerationis litera κ, centrum scilicet æquantis, secta autem D κ recta per medium in c puncto, habebitur centrum eccentrici. Postea à c puncto computabuntur sexaginta partes, quarum finis erit A punctus centrum epicycli Iouialis. Ab hoc rursus, ubi undecim cum dimidia, quarum tota est nonaginta sex, partes numerabuntur, proueniet locus notæ E termini numerationis, & ipsa quidem A E recta, semidiametrum epicycli Iouialis ueræ circulationis indicabit. Reliqua se habent, ut supra in Æquatorij Saturnij Fabrica dictum est.

¶ Verum Iouis motum quærere.

**N** hoc age, ut supra in Canone æquatorij Saturnij diximus. Verum ne quid hac in re studiosis deesset, Exemplum dati superioris temporis apponere uoluimus, fuerunt aut medijs motus Iouis tum temporis hi.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Iouis.	8	12	27	18
Medium argumentum Iouis.	1	22	53	45

¶ Applicui igitur filum D medio motui Iouis in zodiaco, & parallelū ei duxi filū κ, cui dimisso D filo applicui centrū A epicycli Iouis, eiusq; auge. Postea A filum epicycli posui super argumentum medium Iouis in epicyclo. Postremo filum D posui sup intersectionē fili A cū epicyclo

b iij ueræ